

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Proreector Academiae Fridericianae Pavlus Antonius, S.Th. D.
& P.P. Nec Non In Dvcatv Magdebvrgico Consiliaribvs
Consist. Vna Cvm Professoribvs ...**

Anton, Paul

[Halle], [1703?]

VD18 90813987

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)



Ngentis beneficij, quo DEus humanum
beauit genus, *Cives Academicorum*, memo-
ria his diebus pie est concelebranda.
Factam enim die a Resurrectione Serua-
toris quinquagesimo Noui Foederis
promulgationem, atque a DEO imper-
tita latissima Ecclesiae halcyonia fuisse,
coetus sanctorum mente grata merito recordatur. Id quod
ut a nobis quoque, cum alias semper, tum hoc præsertim tem-
pore, in spiritu ac veritate fiat, nostri esse officii, qui Christo no-
men dedimus, quæso cogitemus. Illo ipso quidem die au-
spicatisimo, quum sanctissimus Spiritus corda iam & linguas
fidelium occupasset, irrisores, foedam *Chami* progeniem, præ-
sentes fuisse, ac suo se indicio prodidisse, sacrae litterae memo-
rant. Quid mirum, quod neque hodie desit turba eiusmo-
di *Ismaëlitica*, secundum carnem nata, ac proinde eos, qui secun-
dum spiritum nati sunt, sannis eludens, conuiciis proscindens,
odio persequens? Vobis vero, o *Nostri*, meliorem mentem
inspiret Deus! Ne, quo indigetis *Noui Testamenti Spiritu*, eo
vosmet reddatis indignos, summa sollicitudine vobis caueatis.
Animos vestros metus Numinis, Sancti Flaminis veneratio,
verbi Euangelici amor, desiderium gratiae, morte ac resurrec-
tione Christi vobis partae, ac donorum coelestium & spiri-
tualium prudens aestimatio ita capiat ac possideat totos, vt
non tantum hisce diebus haud Stygio, sed coelesti agamini spi-
ritu; sed nec in posterum committatis, vt vitae vestrae institu-

Act. II, 13.

Gal. IV,

29.

tum ab eiusdem Sancti Spiritus regimine alienum sit. Eo
spectat publica haec nostra paraenesis. Animos ad eam ad-

Cor. X. vertite. *Alloquimur vos ut prudentes; iudicate vos, quae dici-
mus, &c., quid e re vestra sit, ipsi ponderate, ut quod factu ne-
cessarium vobis, non temere, sed consulto faciatis.*

Matth. Ad ea nos tempora reseruauit Deus, quibus ex justissi-
XXIV. 8. mo eius iudicio *principia*, quae Christus vocat, *dolorum, finem*
mundi antecedentium, ab hominibus sentiuntur. Misera est
in Europa rerum facies, & metu malorum imminentium ani-
mi non omnino vesani iustis de causis suspenduntur; praef-
fertim eorum, quorum vel paries proximus ardet, vel iam in-
tra parietes proprios malum versatur. Deplorandum vero est,
quod sensus hic præsentium, ac metus futurarum calamitatum,
non nisi propter temporalia damna plerosque angat, & quod
ii, qui ob locorum interuallum maius procul se a fulmine iu-
stiae diuinae abesse credunt, maximam partem eo sint veter-
no peccatorum sopiti, ut ne metu quidem ullo tangantur. Et

Matth. enim dum *bella bellorumque rumores audiuntur*, dum *gens con-
tra gentem, & regnum contra regnum consurgit*, dum sanguis ho-
minum vt aqua in terram copiose effunditur, ac tot regiones
longe lateque vastantur, in reliquas vero omnes quaedam ma-
lorum pars deriuatur, dum terra ipsa dehiscens multa homi-
num millia absorbet; &, ne insontes nos ducamus, motum ali-
quem terrae ipsa Germania cœpit sentire, dum omnia huma-
nis consiliis contraria eueniunt, tanta inter tot mala omina est
mortaliū securitas, ut, qui signa temporum, de mandato Chri-
sti, dignoscat, qui de tantorum malorum causa sit solitus, qui

Matth. supremae manus, ob impletam peccatorum mensuram nos fe-
XVI. 3. rientis, minas extimescat, qui rem suam agi sibi persuadeat, ut
det gloriam DEO & resipiscat, vix inter mille reperiatur unus.
Carnis opera publice ac libere tam perficta fronte exercen-
tur, ut parum absit, quin catalogo haereticorum adscribatur,

qui

qui suo calculo non adprobauerit multa, quae cum veritate, quae in Iesu est, minime consistere queunt. Ambitio, fastus, voluptatis amor, luxus, salacitas, impuritas, & inde nascens scelerum turpissimorum seges, iniustitia item, auaritia, & vitorum omnium quaedam quasi aemulatio inter se vbique locorum sensibilia sumit incrementa, Atheismo se palam cum Epicureismo & Libertinismo coniungente. Interea Satanas pluri morum non tantum in aulis Principum, quod nemo forsitan miratus fuerit, sed in ipso, qui vocatur, Clero, fascinavit & excoecauit mentem peruersissima & a Spiritu Christi alienissima de *Indifferentismo* quodam opinione, quilibet spondetur iis, qui suarum cupiditatum serui sunt, occasiones peccati, (quas vitare oportet, si peccatum vitare velis) quanquam ab ipso peccato separari nequeunt, non praeccluduntur, sed aperiuntur, honestatis externae fuko teguntur, excusantur, defenduntur, immo ipsa, quae lasciuum fert otium, vitia inter *res indifferentes*, quas vocant, ac nonnulla eorum inter ipsas virtutes in illa noua mundi Ethica recensentur. Hac via obfirmantur animi, ut conscientia seruos mundanarum cupiditatum ne quidem mordeat: astutia versutissimi serpentis mentes ita infestantur, ut licitas, quas credunt, voluptates non tantum degustent, sed iis se penitus, quia licere putant, expleant; nullo spiritus, verbo diuino conscientiam arguentis, freno disfluentem animum coerceant, sed ipso Fanaticorum, quos vocant, hominum odio, licentiam illam videlicet improbantium, longe liberius se in omne vanitatum genus effundant. Ita, dum mordicus tenetur Christus, dum clypei instar Orthodoxia obtenditur, interea omnis Christi imitatio, omne sanctimoniae verae ac spiritualis studium, *sine quo nemo videbit Dominum*, immo omnis Christi nomine digna grauitas, ne peruersorum hominum circulos amplius turbet, (turbabit autem certe, & exturbabit suo tempore Deus) in exsilium agitur, exterminatur.

A 3

Querela

Ebr. XII,

14.

Querela de miserrimo hoc Ecclesiae, quae Euangelica
audit, statu, perlata est ad Excelsum. Illum, qui descendit olim
& explorauit profligatissimae gentis Sodomiticae delicta, vide-
re & iusta librare lance peccata nostra, ne dubitemus. Videlicet
fane, at, qua est benignitate paterna, misertus nostri, aliquot ab-
hinc annis ad resipiscientiam nos per praecones verbi pluri-
mos spiritu veritatis donatos, inuitauit, ante tempestatem nos,
sicut gallina pullos suos, congregaturus, nec uno, quod merue-
ramus, impetu miseros consumpturus. Pari ratione seculo su-
periori grauissimam castigationem, quae totos triginta annos
Germaniam afflxit & ferme oppressit, Iohannis Arndii alio-
rumque seruorum DEI seria ad poenitentiam exhortatio an-
tecessit: quam quum admittere paucissimi vellent, tam graui-
ter irae diuinae gladius Germaniam percusit, ut, quam lucu-
lentam plagam acceperit, etiamnum cicatrix declareret. Quid
vero nos hodie? Nondum satis obductam cicatricem omni
studio refricamus. Monemur a Spiritu DEI, resipisciendi spa-
tium conceditur, appropinquat gladius, imminent varia iudici-
orum iustissimorum genera. Quid nos ad haec omnia? Gloria-
mum de florentissimo Ecclesiae statu, eos qui contrarium statu-
unt, qui virtua publice coarguunt, ad poenitentiam hortantur,
corruptelis epidemicis mederi conantur; eos, inquam, schis-
matis tentati turbataeque tranquillitatis publicae (nimurum
carnalis illius) immo haereses pestilentissimae, aequa ut Iu-
daeи Christum & Apostolos, arguimus, calumniis ac mendaciis,
ab impiis hominibus vberitim in illos sparsis, fidem teme-
re habemus; quae contra illos scribuntur, studiose conquiri-
mus, legimus, commendamus; at quae ipsi contra ad vindican-
dam Dei gloriam seruandasque hominum animas scripserunt,
neque legimus, neque legere & examinare dignamur. In tan-
ta rerum perturbatione quis hostem generis humani ab insi-
diis suis feriari existimet? Tentationibus, ut solet, (eo maxime
tempore

tempore, quo ruinae Ecclesiae instaurantur, ac eatenus res christiana meliuscule habere incipit,) innumeris non tantum asseclas suos, sed etiam eos diuexat, qui animum Christo addixerunt. Hinc alii imprudentia, alii inconstantia boni propositi, alii prauorum exemplorum multitudine, alii culpa doctorum carnalium male animas sibi concreditas custodientium, se se extra viam ferri patiuntur, atque in errores varios partim intellectus, partim voluntatis, dantur praecipites. Hic ex monito Apostoli illi, qui sibi firmiores videntur, inprimit qui Ecclesiam regunt, memores esse debebant, se quoque tentari posse; miseri vero illi, non facinoris ullius (quod omnino pro merito plectendum foret) rei, sed infirmitate deerrantes, errorem omnem, si de eo conuicti fuerint, detestaturi, paterna cura, diligentiaque adhibita maxima, fusis ad Deum precibus, mora temporis concessa, in viam reuocandi, ac Dei talia permittentis iudicia nunquam iniusta, veneranda & expauescenda erant. Quid vero talibus in easibus fieri consuevit? Seruantur miseri, an nutantes impelluntur ac perduntur? Miseratione, quae Christianos decet, excipiuntur, an ludibrio aut iracundia? Hic res ipsa loquatur, fides actorum testetur, publica scripta iudacent. Nil conjectuae valeant, nil relationes, quarum fides adhuc est dubia, & in quibus iudicium quisque sapiens merito suspendit. Plurimi vero, quod dolendum, e talibus scandalis, quae tamen are christiana nunquam absfuerunt, excusationem arripiunt, qua pias omnes exhortationes eludant, & iugo Christi suauissimo se penitus subtrahant. Aliis inde nascitur ex optata calumniandi occasio, qui gaudent se inuenisse, quod reprehendant, & quo non populi tantum, sed etiam optimatum principumque ipsorum animos ab iis omnibus, qui bene agendo prudentis cuiusque sibi amorem conciliant, alienos reddant. Nam, si quem iuuenem non recte sentire, nec ordinate satis ambulare animaduertant, id subito doctoribus & scholae

scholæ , vnde profectum eum esse autem , tribuere non erubescunt; quid ? quod , si homines vagos, temerarios, mente carnali tumentes , laborare nolentes, turpibus voluptatibus emancipatos, foeditatibus detestandis & exsecrandis implicatos, vere ἀτόπως καὶ πονηράς , quos Paulus vocat, (absurdos, insolentes, maligno spiritui obsequentes) si hos, inquam, adfectare aliquam pietatis speciem, & erroris sui in Scripturis querere patrocinium videant; illi tam impudentes sunt, vt iis in vniuersum omnibus, (saltem sine discrimine & nomine generali appellatis,) quos mundus propter pietatem odit, horrendo aduersus octavum Decalogi præceptum peccato, ea, quæ tamen ipsi abominantur ut quæ maxime, imputare publice priuatimque haud vereantur. Ita, quod sibi fieri nollent , alteri contra expesum Christi mandatum faciunt.

Quam vero iniquum hoc est atque impium? Quis , nisi insanus , Iudeæ delictum Christo exprobrauerit? Quis Apostolis, aut piis Ephesinæ Ecclesiæ Presbyteris culpam adsignet, quod teste Paulo , (NB) EX ILLIS IPSIS surrexerint viri, qui locuti sunt peruersa, quo discipulos ad se sequendos abstraherent? Quid vero illi , qui ausu tam temerario in errorum , immo criminum suspicionem, quos volunt, vocant, nihilominus accusant eos, qui negotio Reformationis ipsique Luthero tribuerunt causam tot hæresium turbarumque eodem tempore ortarum, si iniustum eorum accusationem pro re nata imitari animum ipsi inducant? Atenim ubi semel inuentum & per calumniam impositum nomen sectæ est, deinceps corradenda videntur omnia, quibus odium populare & publicum aduersus insontes conflari posse spes est. Satanæ videlicet hæc sunt molimina , hæ machinæ ipsius infernales, vt inutile ac minus efficax reddat eorum ministerium, quos, veritatis præsidio suique abnegatione succinctoros, omnem mouere lapidem videt, vt ab interitu proximum, vindicent, saltem ut vocationi diuinæ morigeri existant,

His

*2 Thess.**III, 2.**Actor.**XX, 30.*

His ipsis vero in tanta calamitate quid faciendum in-
cumbit? Sibi dictum credere debent singuli, quibus
cordi sunt Ecclesiae vulnera, quod Timotheo inculcauit
Paulus, jamiam victimae instar immolandus: *Obtestor e-
go coram Deo, & Domino IESU Christo, qui iudicaturus est 2 Tim. IV,
aduentu regnoque suo viuos & mortuos; praedica verbum,
insta opportune, non opportune; redargue, reprehende, con-
solare cum omni longanimitate & doctrina.* Erit enim
tempus, quando sanac doctrinae impatientes erunt, sed iuxta
suas cupiditates sibi ipsis coauerabunt doctores, prurientes au-
ditu; & a veritate quidem auditum auertent, ad fabulas au-
tem conuertentur. Tu vero sobrius es in omnibus, malum
iustine, opus fac Euangelistae, ministerium tuum adimple ple-
re. Ita fideles Dei serui stadium, quod ingressi sunt, ala-
criter decurrentes, pace, quam in Christo nacti sunt, &
tranquilla conscientia fruentur, per ignominiam a mundo
sibi illatam ad perennem gloriam contendent, ac prin-
cipem tenebrarum cum omnibus, quae cumulauit, men-
daciis, vincent ac concubabunt. Ita fructus aliquando
de arboribus testabitur, nec alio veritas patrocinio opus
habebit. Hanc probationem aduersarii illorum & ipsi
aliuando sustinere cogentur, vbi, cuius quisque spiritus
exterit filius, coram omni creatura, judicis summi sen-
tentia fiet manifestum. Interea se mutuo consolantur
restes veritatis effato Sancti Iohannis. Hic enim, *Filioli,*
*inquit, vos ex Deo estis, & vicistis illos: quia maior est, qui
in vobis (est,) quam qui in mundo. Illi ex mundo sunt, ita-
que ex mundo loquuntur, eosque mundus audit.* Nos a Deo
sumus: *Deum qui nouit, nos audit: qui a Deo non est, non
audit nos. Inde, quis veritatis, quis sit erroris spiritus, dignosci-
mus.* Si cui hic character, quo spiritus Christi a spiritu
mundi internoscitur, non satisfaciat, accuratius ex moni-
to Christi singulas arbores ex suis fructibus cognoscat:

B

Neque

*Ioh. IV,
4,5,6.*

Matth. Neque ex spinis uva, nec ex tribulis fucus colligitur. Ita o-
VII, 16, 17, mnis arbor bona fructus bonos eait : mala autem
18. arbor faeuclus malos edit. Non potest arbor bona fru-
ctus ferre malos, nec arbor mala fructus ferre bonos. Iam,
si qui aliorum conatus improbent, nec iis tamen meliora
ac laudabiliora praestare sustineant ; si qui tuendae Or-
thodoxiae studium dissensi suu ac molimini vario praetexant,
at vitae ratio & institutum doctrinae Christi e-
diametro contrarium illos carnales esse probauerit ; si mo-
res illorum ab imitatione humilis mansuetique Iesu ab-
horreant ; si suae rei studere teprehendantur, seruos in-
terim & oeconomos Dei sese appellantes ; si errantes non
de errare conuincere, sed damnare subito, non in viam
redeundi adiumenta iis suppeditare, sed iniuria eos ad-
ficere laborent ; si imputationes suas non certis docu-
mentis probare, sed praua suspicione coniucere, quae
vero ab vno alteroque peccantur, eadem insontibus tri-
buere consueuerint ; si pietas apud eos laudetur & alpe-
at, imitatio Christi vrgeatur, imitatores eius inuisi sint, si
emendationem morum verbis frigide interdum requi-
rant, exemplo praeente non stabilit, nec remediis re-
liquis, quibus deberent ac possent, procurare satagant ; si
odium aduersus immerentes fouendo vindictam huma-
nam carnalemque exerceant, quis ibi credat Christi Spir-
itum esse ? Quis non sub Orthodoxæ larua & pietatis qua-
licunque fuco malignum spiritum, ex tali ungue leonem
infernalem cognoscat & deprehendat ? Quis tam amens
ac stupidus, vt sibi persuadeat, Zelum illum esse di-
vinum, & propter Dei gloriam, hominumque salutem
contendi cum iis, qui non tantum doctrinam suam
παιδείας οὐσίαν profitentur, sed etiam ex fructibus
2. Cor. X. suis cognosci laborant, memores, non, qui se ipsum com-
18. mendat, probandum esse, sed quem Dominus commendat.
Vos

Vos autem, o Noſtri, quo pacto calumniæ vllæ a recipien-
da Christi disciplina abſterrere valeant? Testes enim vos
eſtis, veſtrisque & auribus & oculis vſurpare, & coram
iudicare potestis, vera an falsa ſint, quaꝝ garrula, fallax &
adœſoratōr fama circum fert. *Verbum Dei Scriptura Sacra*
comprehensum, maximo & indefeffo ſtudio exponi, ad-
plicari, inculcari; *λόγον ὑγῆς οὐδὲ αἰνατάγματον* (*ſermonem*
ſanum & qui dāmna ti nequit :) ex tam puro fonte quoti-
die hauriri; *Sacramenta* non tantum eäterne administra-
ri, ſed eorum quoque virtutem ac fructus vrgeri; *iuſti-*
tiam fidei, qua propter Christum eiusque méritum poe-
nitentibus peccata remittuntur, & iuſtitia Christi impu-
tatur, ſolam ad ſalutem obrinendam requiri; *fructus au-*
tem fidei a fide iuſtificante diſtingui recte, at, quia fides
ſine operibus mortua eſt, & iuſtificatus fructum habet
in aγιασμῷ (Rom. VI. 22.) idaeoque poenitentem iuſti-
ficat Deus, vt ſuam dein imaginem in eo instauret, &
noua vita noua habeat opera, propterea vitam quoque no-
vam, imitationem Christi ſeriam, conſtantem, incremen-
ta quotidie ſumentem, requiri ac feruide vrgeri; vitia
publice priuatim que reprehendi, odium mundi propter-
ea patienter ſuſtineri, conuiciantibus conuicia non re-
geri; nullam a pia maiorum doctrina ſecſſionem, nec
coetu cultuque publico ſeparationem fieri; priuatim haud
aliter quam publice doceri; libros non alios commendari,
quam e quorum lectione ſpes minime ambigua ſit aedi-
ficationis; ſcripta in lucem edita puram Christi doctrinam
ſpirare; Apologias publicas, toties totiesque repetitas,
omnem maleuolorum accusationem iam pridem infre-
giffiſſe; eos, qui ſacro docendi munere funguntur, nec do-
ctrinae nec vitae ſuae publicam ſolennemque inuestigationem,
quamuis accuratissimam, vñquam ſubterfugifſſe;

eos

eos ab omni impietate ac impuritate , quacunque ea pal-
 lietur , etiam pietatis specie , ab omni *αταξίᾳ* , aestuque
 iuuenili & *σωφροσύνῃ* Christianae limites transgrediente
 abhorre ; eosdem cum illis , qui non ad normam Chri-
 sti & Apostolorum se gerunt , sed nomini Christiano potius
 dedecori sunt , nihil habere commercii ; quicquid autem
 a veritate , quæ in Iesu Christo est , recedit , eos serio , graui-
 ter & constanter detestari , vosque toties totiesque mone-
 re , vt ab omni *ατεβίας* & *αταξίας* genere vos expurge-
 tis , quo vasa euadatis promouendae Christi gloriae con-
 secrata , Ecclesiae utilia , ad omne opus bonum parata :
 Haec omnia quia videtis , & in aprico sunt omnibus ,
 conuictæ sunt conscientiae vestrae , veram hanc Dei gra-
 tiam , sub vexillo crucis militantem , omnesque Sa-
 tanæ conatus & insultus elidentem , vincentem ,
 ipsissimumque Christi iugum esse , ad quod reci-
 piendum inuitamini . Quid igitur supereft , quam-
 vt stimulos vobis addamus , vt abiicientes
 omnia externa internaque impedimenta sine omni mora
 seruare studeatis animas vestras , vt certamen ingrediami-
 ni , sine quo rite exantlato nemo coronabitur ; vt Christo
 non tantum nomen , sed ipsum pectus et animum detis
 integrum , vt regimini Spiritus ipsius , excusso peccati do-
 minio , totos vos permittatis , & corda vestra , ipsi soli ceu
 templo & sacraria deuoueatis . Iudex prope adest , qui
 retribuet vnicuique , quicquid boni malique perfecerit .
 Sapite igitur , o Nostrî , & non tantum hosce dies festos
 (quibus complures in ore habent : *Veni Sancte Spiritus* ,
 qui Spiritui S. ne mentem vitiis liberet , ac charismatibus
 diuinis repleat , obicem ponunt ,) sed etiam , quod reli-
 quum vobis est vitae tempus , ductu ac moderamine San-
 ctissimi Spiritus , non PRAETER PROPTER , sed bene
 beateque transigite .

P.P. in Alma Fridericiana. Fer: Pentecostal. MDCCIII.

Typis IOH. MONTAGII, Acad. Typogr.